



## **Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia**

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

**Raynaud, Théophile**

**Lugduni, 1665**

Capvt II. Verbum scriptum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)

*Alia Verbi Dei per voces corporatio, hic dimittenda vsus doctrinae.*

246. Cæterum non dissiteor, præter eam Verbi Dei corporatorem quæ cernitur in carne Verbo adiuncta in Christo: alias quoque plerisque Verbi Dei corporatorem in vocibus prolatis assignari posse. S. Augustinus serm. 23. ex 40. nouis qui est de S. Ioanne Baptistâ, multus est in hac analogia exponenda. Ibi *omnes animas pias prædicatrices*, (sic appellat,) ad Verbum Dei non secus se habere docet, ac vocem ad verbum: omnes Prophetas & Patriarchas Christi venturi prænuntiatores, huiusmodi vocem nomine insignit, sed maxime S. Ioannem: quem idcirco ait, omnes voces quæ præcesserunt, representasse. Et idem proprie dictum esse vocem, tanquam omnium vocum signaculum atque mysterium. Verumtamen nulla talis vox fuit, qualis vox carnis Christi, de qua ibidem sic Augustinus, [Verbum manens, non nocebat: & carnis illi quidem crucifigunt, diuinam autem illius naturam non tollunt. Nam si meus sermo cum litera quæ vestis est sermonis, non perit, & euasceit: Deus Verbum, fons illæ vitæ, non vnâ cum carne obij: supplicium illud ad corpus pertinebat, sed vacuitas omnis perpeffionis, erat circa dignitatem.]

## CAPVT II.

### *Verbum scriptum.*

**H**abemus perillustrem Incarnationis imaginem in verbo prolato. Est tamen ( vt verum fatear, ) huiusmodi analogia minus idonea ad perspicendam Verbi pro nobis deiectionem. Nam verbum prolatum, accedit maxime ad spiritalia; quia ob viciniam cum mente, à qua immediatè manat, aliquid ( quantum accedente corpore licet, ) de verbi perfectionibus retinet; ideoque est vbique totum, ( vt S. Augustinus pulchrè dissent serm. 84. de diuersis *sub finem*. Et in audientis intellectum sine corruptione ac læsione per aures illabitur.

*Scriptio Verbi per incarnationem, iuxta Patres.*

247. S. itaque Chrysostomus, aut quisquis alius autor sermonis de sigillis librorum, ( qui habetur t. 6. Græcolat. ) aptato ad processionem æternam exemplo verbi prolatis addit, aliam insuper ex verbo nostro prouisam esse diuinitus imaginem, ad perspicendam Incarnationis mysterium. Nimirum per scripturam, verbum nostrum quasi corporari & tractabile fieri obseruat. Eius hæc est ratioinatio. [Hoc nostro sermone, cum Deus multò ante adumbraret, & depingeret æconomiam Diuini Verbi imaginem quampiam admirabilem, floribus quos terra ex sese fundit, pulchrè resplendescentem, antecedente quadam consideratione sermonis, adhibuit. Itaque sermonem quidem nostrum, qui & inuisibilis & incorporeus est, neque tene-ri potest, Deus alio quodam modo sapienter ita conformauit, vt & aspicci posset, & teneri. Quid enim ille facit? Cum ille oculis quidem cerni non posset, Deus ipsum literis, velut corpore vestiuit; eique, eam carnem literas aspectabiles apposuit; & quem tu aliquando audiens, non cernebas, cum dum legis, conspicis: In quem incidere non poterat, in libro circumfers. Verum sermo quidem, literarum beneficio quasi corporeus enadit: non autem literis includitur, sed cum legente

& cum dicente coniunctus est. Nam licet aliquis arrepto libro eum disceperat, corpus ille quidem sermonis disceperit, non autem oratione disceperit.] Confirmat hoc exemplo libri quæ Rex Ioachim vt est apud Hieremiam c. 27. discessum in igne abiecit. Deus enim per Prophetam renuncianti Regi iussit, ipsum quidem literas discessisse, orationem tamen nõ discessisse. Subdit deinde Chrysostomus. [Imaginè igitur intellectus; porro verò animum tuum ad res sublimiores & altiores erige. Vnigenitus ille Dei, ipse Deus carnem induit, vt, qui antè non apparebat, nunc appareat: qui antea non contrectabatur, nunc contrectari possit: Ioannes ergo exoptato illo oraculo innotuit; quod quidem fando aliquando à nobis percipiebatur, postea verò his oculis aspeximus, ita: *Quod fuit ab initio, quod visum, quod auditum, & manus nostra contrectatum.* Carnem igitur vestem diuinitatis circumferebat; sed vestem decentem: *Domini enim regnavit, decorem videtur est.* Iudæi certant cum eo qui apparebat: cum, qui non apparebat, non nocebat: & carnem illi quidem crucifigunt, diuinam autem illius naturam non tollunt. Nam si meus sermo cum litera quæ vestis est sermonis, non perit, & euasceit: Deus Verbum, fons illæ vitæ, non vnâ cum carne obij: supplicium illud ad corpus pertinebat, sed vacuitas omnis perpeffionis, erat circa dignitatem.]

248. Verum quia ex instituto, & admodum accuratè hanc verbi scripti cum Verbo incarnato analogiam profectus est Theodotus Ancyranus homil. in natale Saluato. quæ est in Concilio Ephes. t. 6. editionis Peltani c. 10. iunabit aliqua inde excerpte. Post expensam ergo huius mysterij inaccessam nobis altitudinem, præfatus Theodotus, placere exemplo aliquo sensibili monstrare quomodo incorporeum crassecat; & inuisibile visibile fiat; & secundum se impalpabile, tractabile euadat, propria natura non demutata sed sensibili tantum schemate assumpto, quæ est huius mysterij explicatio & adumbratio aliqua, interlocutus nonnulla contra fatuum Phorini de verbo prolatis incarnato opinionem, subdit. [Verbum hoc quod profertimus, quoque in mutuis colloquijs vti consueuimus, verbum est incorporeum, nullo neque visu, neque factu percipi natum. Atqui simulatque verbum hoc, literas induit, elementaque suscipit, mox visibile, palpabileque factum, tam visu hautitur, quàm tactu deprehenditur. Pone enim quempiam cum quopiam verba facientem; verba ipsa effusa, nemo vtique neque cerne-re, neque manibus contrectare potest. Quod si verò quæ dicebantur calamo & charta exceperis, iam statim quod prius videre nequibas, videbis; & quam sermonis formam antea contrectare non poterat, eam per chartam & characteres iam contrectabis. Quid ita? Quia verbum antea incorporeum; corpus chartaceum, elementorumque figuras induci.

Esse verò hanc Verbi Diuini secundam quandam generationem, nempe in carne, sic exponit. [At quam, (inquis,) ratione cum Vnigenitus natus sit ex Patre, rursum nascitur ex Virgine? Ex Patre natus est secundum diuinitatis naturam, ex Virgine nascitur secundum carnis dispensationem. Hinc vt Deus, isthinc nascitur vt homo: Nam & tuum quoque verbum, quadam mentis tuæ proles est. At posteaquàm verbum istud, quod mens tua peperit, elementis & literis volueris exprimere, & in charta efformare, manū literas describis, & certa quadam ratione verbum tuum per manum denud eniteris. Non quod tum esse sui exordium sumat, cum per manum exaratur; aut quod tunc demum, quando manus literas effingit, existere incipiat: iam ante enim ex mente enatum erat: sed quòd tunc tandem verbum per manum, vt cerni queat, accipiat. Cum ergo exemplum hoc

hoc evidens existat, expressamque imaginem gerat, agendum similitudinem hanc ipsi prototypo adaptemus. Hic itaque cernis mentem; ibi Patrem. Hic verbum ex mente productum agnoscis; ibi Verbum essentiale substantialeque ex Patre natum vides. Hic manum tale substantialeque conspicaris; ibi Verbum per literas Verbum parentem generatum. Non quod ea suo per corpus Virgineum generatum; Absit; patet aliquid divinitati initium subministrat; Absit; sed quod Deum inhumanatum, humanis aspectibus conspicuum visibilemque reddiderit: Quia enim id factus est, quod ergo, necessarium meam naturam induit, manus est sicut ego.]

249. At ne quis inde inferat, Verbum in carne esse quid despiciendum & abiectum, quippe corporatum, & adeo vili regimine obdolum; instat è contrario Theodorus, ex hac ipsa analogia, Deum esse qui sub hoc regimine obijciatur, atque adeo cui inhonoratio & proebum inferat. Hoc ita declarat. [Fingimus Regem quempiam, cuiusmodi sermone depro-nec, qui libertatis, vel aliorum regalium munerum, quibus oportet, impetrandorum, decretum in se continet: illudque decretum chartæ, quam *sacram* vocant, inserit, hæcque expressum, ad hanc vel illam civitatem amandare. Sacram hanc potè Latine appellatam aliquis perfidus, aut rebellis, aut civitatis alioqui, vel Regis inimicus intercipiat, intercipientemque dilaceret. Jam dic mihi quid hic laceratum est, chartæ sola, an etiam decretum Regium? Atqui si sola charta dilacerata dicatur, parvo admodum ipsa laceratio poterit redimi, tenebiturque hac ratione violator, aut nulli, aut sanè vix quinque obolorum multræ obnoxius. Eiusmodi autem, supremum duplicem dependit, parvaque afficitur capitali, nec iniuria; ve qui non solum chartam diruperit, sed Regium quoque decretum violaverit. Atqui imperiale Verbum secundum se impatiibile, taleque est, quod sua ipsius natura, neque manibus contrectari, neque discindi potest; & tamen hoc non obstante, & ipsum quoque discissum dicitur. Quid ita? Quia chartæ & literarum passionem, tanquam propriam, in se transfert. Cernis hinc quo pacto id, quod non vili secundum se passioni obnoxium est, eo ipso passioni subijciatur, quod cum patibili natura communicationem sortitur? Neque enim Regis sermo, quod ad propriam naturam attinet, dilaniatus est; & nihilo tamen minus, tam chartæ, quam elementorum passionem rectè in se excepisse dicitur. Ne igitur iactet se Iudæus, tanquam qui purum hominem in crucem egerit: Nam quod cernebatur, charta quidem erat, quod verò in charta abditum latitabat, Verbum erat Regium non lingua sed natura productum. Siquidem Vnigenitus Dei Filius Verbum dicitur: non prolatum, sed substantiale substantialeque, neque propria rursus natura patibile; sed illius quod cernebatur, patique poterat, passionem veluti propriam in se transferens. Et quemadmodum Verbum Regium, similitaque literarum naturam in se suscepit, chartæ passionem sibi ipsi appropriat; ita Vnigenitum Dei Verbum, clavis confixi corporis, perpassiones proprias sibi æstimat. Quare ut is, qui sacram Regiam violavit, veluti qui ipsum Regis verbum diriperit, vitio afficitur supplicio; sic Iudæus quoque, id quod fornicatus cernebatur crucifigens, perinde pœnas luit, ac si in ipsummet Dei Verbum impius extitisset.] Præclatè in hanc rem totam differit S. Hippolytus contra Bernen. serm. 3. adductus ab Anastasio Apocryphario epistola ad Theodosium Presbyterum Gangrensem.

Theoph. Rayn. Christum.

*Verbi per Incarnationem delectio, monstratur ex propria analogia.*

250. Explorata videtur verbi mentalis & scripti, cum Verbo divino eiusque corporatione analogia, ex plerisque capitibus quæ Patres adducti tetigerunt: mihi autem addendum præterea occurrit, posse ex hoc insuper exemplo deprehendi statum Verbi in carne, & quantopere se nostri causa Deus abiecerit: quod ubi attingero, chartam cui hæc scriptura commissa est, & calamus, & scribam, non prætermittam. Ut tamen status Verbi in carne ex hoc exemplo deprehendatur, necessarium planè est, statum verbi nostri mentalis, cum statu quem descriptione accipit componere; ut facta verbi que contentione, analogia quam in re præsentis quærimus liquido perspicatur.

Verbum itaque nostrum mentale, è mente nostra incorrupta & illæsa, absque sordibus & illaue vlla, progignitur. [Hoc est verbum, (ait D. August. 15. Trinitat. c. 11.) quod neque prolatum est in sono, neque cogitatum in similitudine soni, quod alicuius lingue esse necesse sit, sed quod omnia quibus significatur signa, præcedit & gignitur de scientia, quæ manet in animo, quando eadem scientia inus dicitur sicut est: simillima est enim visio cogitationis, visioni scientiæ. Nam quando per sonum dicitur, vel per aliquid corporale signum, non dicitur sicuti est, sed sicut potest videri, audiri per corpus. Quando ergo quod in notitia est, hoc est in verbo, tunc est verum verbum, & veritas, qualis expectatur ab homine ut quod est in ista, hoc sit & in illo: quod non est in ista, non sit & in illo: hic agnoscitur est est, non non. Addit præterea, hoc debere considerari in verbo mentali; initium omnis operis nostri, ut habeatur Ecclesiastici, 37. verbum esse, quia potest esse verbum nostrum quod non sequatur opus, opus autem esse non potest, nisi præcedat verbum. Itaque verbum est actuum. Imo vique eò eius actinatem celebrat Richardus Victor. l. 3. de contemplat. c. 13. & 21. & l. 4. c. 20. ut quandam in eo omnipotentiam & vim creatinam agnoscat. Possunt enim mundi infiniti, verbo nostro accipere mentaliter esse; moxque illud eiusdem verbi virtute deperdere. Est item mentale verbum nostrum, quasi immensum iuxta Macarium hom. 12. qui animam per verbum suum quocumque libuerit auolantem; & cælo terraque ac ipsi quaquaersum vniuersitati mundanæ ac etiam innumeratis supra cælos spatij imaginantis insidentem describit. Quidni verò similiter quandam in verbo nostro æternitatem agnoscamus, quando æquè potest ad omnia tempora, eorumque differentiam extendi, atque ad loca & spatia quæcumque; Tandem mentale verbum nostrum, in imo abditum, vita præditum est, imo est flos vitæ, & vita ipsa actualis. Est enim expressio & imago viua obiecti, hominem formalissimè & vltimè constituens viuentem vita nobilissima; hoc est intellectuali; quæ cum sit quædam obiecti expressio, ac potentia cum obiecto assimilatio, & aliqua in illud transformatio, ut Philosophus quoque dixit; verbum in totidem formas componit, quot sunt obiecta representabilia.

Hic est verbi nostri mentalis status in anima, sanè nobilis & admodum preciosus; præ quo admodum miserandus & planè abiectus censeretur eiusdem verbi status, cum chartæ illigatur per scripturam. Quod enim in animo spirituale, & præsertim, immateriale erat, sit crassum: quod inuisibile erat, sit visibile, & quidem secundum in modum. Quam enim atra & tæta est Scripturæ facies? Nec visibile tantum efficitur, sed & palpabile, præ crassitie. Emortuum est; quod erat flos vitæ. Tempore & loco definitur, jacerque oblitum & omnis

O 3 actiuj

acti tatis expers, quod æternitate quadam, & illocabilitate, ac immensitate, nec non omnipotentia, potius intra mentem vidimus. Denique adhærescit chartæ, quod à terrena materia liberum erat. Heu quantum ab illo mutatum, quod intra mentem supra quæque nostrata splendens & eximium, suspiciebamus. In hanc statum pristini deiectionem, verbum mentale nostrum devenit per corporatorem & alligationem ad chartam, scriptiois interuentu.

251. Gemina planè est deiectionis diuini Verbi per adhesionem ad carnem. Quantum enim erat Verbum Dei in sinu Patris? [Quis hoc explicet verbis (inquit S. August. serm. 84. de diuers.) quis hoc videat? Quo documento vobis probabo quod dico? Homo loquor, hominibus loquor: infirmus loquor, infirmioribus loquor. Et tamen fratres mei, audeo dicere, quod vobis dico, vel per speculum vel in enigmate, utrunque video, utrunque intelligo, est in corde meo de hac re verbum. Sed quærit exire ad vos, & dignum non inuenit vehiculum. Vehiculum verbi, sonus est vocis. Quod dico apud me, quæro vobis dicere, & verba deficiunt. Volo enim dicere de Dei Verbo. Quanto Verbo, quali Verbo? omnia per ipsum facta sunt. Opera videte, & operatorem expauescite. Omnia per ipsum facta sunt. Redi mecum humana infirmitas; Redi ergo, humana ipsa comprehendamus si possumus. Homines somus & nos qui loquimur, & hominibus loquimur, & sonum vocis edimus. Ad aures hominum, sonum nostræ vocis perducimus, & per nostræ vocis sonum, etiam intellectum quomodocumque per aurem in corde ponimus. Hinc ergo quod possumus ut possamus eloquamur, hoc comprehendamus, si autem neque hoc comprehendere valuerimus, ad illud quid sumus? ] Hoc itaque tantum ac tale Verbum, immortale, immutabile, insectibile, æternum, quale ibidem S. Augustinus, & alibi infinities describit, omni perfectionis genere supra quàm vel cogitare possumus instructissimum; ad eam egestatem deiectionem est per incarnationem, ut locale, temporale, infirmum, mortale, omnibusque abiectionibus nostris obnoxium euaserit. Et cum in se esset inuisibile, ac non sensus tantum nostros effugiens, sed etiam mentes superuolans; nunc dispicacissimo sensuum subiacer, vsque adeo ut poruerit vsurpare illas voces, Ioannes Apostolus. *Quod vidimus oculis nostris, quod manus nostræ contrectauerunt: de Verbo vita.* Nam etiam si Vigilus l. 4. contra Eutychem ad finem, negat hanc concretationem de qua Apostolus, esse sensus functionem, tamen in sensu proposito potest admitti: Pulcherrimum in se Verbum, ac splendidissimum, & si quid eloqui dignius possumus, attractum est ac denique ratum. Nam & S. Ambrosius de incarn. Dom. sac. c. 5. *atramentum naturæ nostræ*, nominat humanitatem. Verbum vocalissimum & sonantissimum, quo vno Deus semel omnia dicit; Verbum in quo simul sunt omnia, non diuersa, non separata, non inæqualia; murum & elingue iacet in libro, cui per calamus est immisum. En verè Verbum abbreviatum, quod factum esse Dominum super terram, prænucciatat Esaias c. 10. De Verbo incarnato id exponunt S. Anacletus Epistola 2. *sub finem*, Et S. Cyprianus l. 2. contra Iudæos c. 3. *Cocæcet sanè Verbum immensum, modicus liber.*

*Liber cui Verbum est inscriptum, humanitas Christi.*

252. Quis hic liber? quis calamus; Librum Verbi Diuini per incarnationem scripti, non nemo sanctissimam Christi Domini humanitatem censuit. Hic enim est liber, siue cortex & forma exterior diuinæ illius arboris plantæ secus decursus aquarum iuxta Chrysostomum in Psalmum 1. Hic est liber, in quo salutis

nostræ lyngrapha Scripta est. Sicut enim iuxta Prouerbum homin. de natuiuit. Dom. t. 6. conc. Ephes. c. 7. Diabolus falsarius, corpore nostro veluti Charta vsus, nostræ venditionis chyrographum consecerat, quod per Adamum vt addit Adrianus Papa, Epistola ad Episcopos Hispaniæ, veneno vsus pro atramento, in nostris corporibus conscripserat; Ita Deus è contrario, in Verbi sui humanitate liberationis nostræ scripturam expressit. Hic est liber signatus sigillis septè, vt fusè prosequitur S. Bern. serm. 1. de Pasch. Audi etiam pro hac expositione Rupertum l. 1. de victor. Verbi Dei c. 23. [Natura humana de virgineæ carnis substantia sic est assumpta velut membranula munda ac benè accurata, scriptoribusque operi accommodata, & ipsa lingua Patris, id est Spiritus sanctus, velociter percurrit, velociter tanquam calamus scribæ totam perscripti, totam Verbi substantia repleuit, nihilque residui fuit; sed totum quod erat in corde Patris, illi animæ inscripsit, totamque sapientiam, totumque intellectum, totamque consilium, totamque fortitudinem Dei, totam scientiam, totamque pietatem Dei, & totum timorem Domini, vt nihil esset, quod non sciret, nihil quod non posset, nihil in Deo Patre, quod non haberet humana pueri huius natura, vnde & Deus est.] Nec omitendus Paschasius Corbeiensis l. de corp. & sang. Dom. c. 4. vbi tractans locum Pauli Hebr. 1. *qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius*, priora verba ait spectare diuinitatem Christi, posteriora humanitatem. [Vnde (inquit) vnari rem sumit ad demonstrationem duarum substantiarum, quam figuram substantiæ & characterem nominauit. Quia licet per characteres vel figuras literarum, infantia nostra priùs gradatim pertingit adlectionem, deinde ad spirituales Scripturarum sensus & intelligentiam: sic ex humanitate Christi ad diuinitatem Patris peruenitur, & idè iure figura vel character substantiæ illius vocatur. Quid enim aliud sunt figure literarum quàm characteres earundem, vt per eas vis & potestas, ac spiritus prolatio, oculis demonstretur? sic itaque formatur Verbum caro, vt per carnem nostra infantia ad diuinitatis intelligentiam nutriatur.]

Hi Patres, librum cui Verbum est inscriptum, accipiunt humanitatem Christi: Vnde Christum ex humanitate & Deitate compactum, tanquam librum ex charta & literis, exponunt Eucherius & Beatus l. 1. cõtra Elipandum a pag. 363. latè præsertim vestantes illud de hoc libro prænucciatum. *Scriptus intus & foris.* De quo etiam ad Christum apato, agit plenissimè autor epistolæ de vera Circumcisione, apud Hieron. t. 9. & breuiter sed piè admodum Laurentius Iustinianus lib. de triumphali Christi agone c. 10. *sub initium.* Vt proinde videas fuisse Christum, Opistographon, iuxta germanam vocis illius notionem de qua plura Corrasius l. 1. miscell. c. 18. num. 3.

*Vel cerè Deipara.*

253. Possumus etiam cum alijs plerisque Patribus, hunc librum cui Verbum inscriptum est, intelligere Deiparam: que non est diuersa à priore, libri acceptio; cum sanctissima illa humanitas, sit portio aliqua Deiparæ, & segmentum ex eius substantia, quoad primigenias & fundamentarias eius partes. Facit planè ad hunc librum insignis doctrina S. Epiphanijs Her. 30. qui matrem veram collatum libro, productionem inscriptioni assimilata ab Isaia, his verbis docet. [Isaias ex persona Domini dixit, *Accipet ibi frustum chartæ nouæ magne*: frustum quidem, propterea quod sit Virgo ex semine viri; resecta autem sit à mixtura viri, & quòd resecta sit à naturali hominum consuetudine. Omnes enim homines ex semine viri gignuntur. Christi verò natiuitas, secundum naturam quidem ex muliere Virgine

gine Maria incarnationem habuit: præter naturam vero electa est à conſequentia ſecundum humanitatem: velut etiam Iacob de ipſo dicit: *Ex germine filii mi prodiſti*; & non dixit, *ex ſemine prodiſti*. Et hæc de cauſa dicit ſanctus Iſaias Propheta, imò potiùs Dominus ipſi dicit. *Accipe tibi fructum chartæ*: ſpeciem conſuetudinis ſignificans, in qua omnia trigefimo octavo Palatium, velut etiam in centefimo trigefimo octavo Palatium dicit; in *librum tuum omnes ſcribentur, dies formabitur, & nemo in ipſo*. Libro enim, aſſimilauit vterum. ] Fructum cuius hic ex Epiphanio per interpretem minimum; Græcè eſt *liber*. Quo nomine, Græcos palium libros nuncupare, notum eſt; & nos quoque vniùs ſic nuncupamus libro magnos. At magnus reuera liber Deipara: Audi ibidem Epiphanium non ita multo poſt. *Cæterum per librum, & fructum, verus ſignificatur. Et non dixit, ſume tibi ipſi chartam; ſed fructum, ob proprietatem præter hominum conſuetudinem: charta propter aputudinem veri, adhuc ut inſcribatur: non propter nouitatem Virginis, & impenſatam integritatem: magna enim reuera eſt Maria ſancta Virgo coram Domino & hominibus. Quomodo enim non dixerimus hanc magnam, quæ incomprehenſibilem concepit, quem cælum & terra capere non poterit? Ipſe autem cum incomprehenſibilis ſit, ſecundum proprium propoſitum ac voluntatem volens comprehenſus eſt, & non neceſſariò, nec coactus. Quapropter magnum eſt fructum, & nouum: magnum, propter miraculum: nouum, quia Virgo. Et ſcribet inquit in ipſum ſtylo hominis. Et non dixit, ſcribet in ipſum quis ſtylo hominis; neque dixit, ſcribet in ipſum hominem, ut ne prætextum reperiret Ebion. Si enim dixiſſet, ſcribet in ipſum homo, habuiſſet quod diceret; homo Ioseph ſeminauit, & ex ſemine viri genuit eſt Chriſtus. Verum Iſaiæ ante ſeptingentos quinquaginta tres plus minus annos, dixit, ſcribet ut à tempore interualli omnis veritas conſpicitur, quod nemo potuit ante ſeptingentos quinquaginta tres annos ſeminare eam qui eigni deberet. Num igitur fruſtra dicit Propheta, ſcribet: Non; ſed ut ostenderet, Spiritum ſanctum, qui erat in Propheta, ipſum effectorem fieri conceptionis æternæ Chriſti in carne, in veritate.]*

Altipolatur Epiphanio, de Deipara exponit librum grandem, & Diuini Verbi in eo ſcriptionem, quod continenter ſubdit Iſaias de ſuo ad Prophetiſſam accellit. Hoc enim de myſtico accellit per contemplationem & Spiritum propheticum, interpretatur S. Baſil. in c. 1. Iſaiæ: qui item negat, vllum fore qui contradicat, dicenti, prophetiſſam ad quam accellit Iſaias, eſſe Deiparam. Et ita ſanè diſerte Euſebius 7. de demonſtratione 2. S. Epiphanius, Chryſoſtomus, atque Cyrillus. Niſi quod hic, cum accellit non Iſaiæ, ſed Spiritui ſancto tribuit; nec ſcriptionem illam de productione prolis per ipſam Prophetam quæ nomine ſuo alijs que complentibus adiunctis eſſet Chriſtum expreſſora, ſed de ipſius Chriſti productione per Spiritum ſanctum interpretatur. Vnde vbi nos legimus *Et accellit ad Prophetiſſam & concepit & peperit*; S. Cyrillus in tertia perſona legit, *Et accellit ad Deum*. Locus eſt adſcripta & lectu digniſſimus. [Quod non ex ſanguine (inquit) & carne, neque ex voluntate viri, Chriſti natiuitas ſecundum carnem peracta fuerit, ſed & inſolita & vitra leges humanæ naturæ extiterit, Deus Prophetæ reuelauit. Etenim ipſe, (inquit,) qui dixit, *cape tibi librum tuum magnum*, accellit ad Prophetiſſam. Conſidera verò quo pacto, hominis penicillo Chriſti myſterium, noſtriſque verbis ſcribatur. Illud autem. *Accellit pro corpore vel conſigali ritus communicauit*, ex more ſuo dicit Diuina Scriptura. Videt ergo Propheta etiam congreſſus formam cum ſancta Virgine, quam Prophetiſſam quoque dicit, rem veram docens. Dein & conceptionem factam ait, filiumque editum. Illud

enim ſanctiſſimum corpus, ex Spiritu ſancto, & ſuperis Verbo formatum eſſe, cui dubium eſſe poterit? Quocirca Spiritus virtus ac vis, per quam illud corpus in ſancta Virgine formatum eſt, hoc congreſſus habitum ac figura obliquè ſignificatur. Primitiæ ſiquidem factus eſt hinc Chriſtus, eorum qui ſanctificati ſunt in Spiritu, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo geniti ſunt. Natus ergo eſt ex Sancto Spiritu iuxta carnem ipſe ante alios, ut & nos quoque per illum naſceremur. Hic enim notandum, quòd Viã & Zachariam teſtes adhiberi iuſſerit, ut citò ditiſſat ſpolia. Appoſuit etiam: *Ad ſt enim*: reſtaur etenim lex, & potè ſanctorum Prophetarum prædictio, Chriſtum natum Satanam ſpoliaſſe, & vaſa eius diripiſſe, hoc eſt qui Satanæ aliquando adoratores erant, ſuos feciſſe.]

In eundem Iſaiæ locum, per occaſionem incidens idemmet S. Cyrillus homil. 17. Palch. hæc inſuper habet. [Nouns & magnus eſt liber, quia ipſum quoque notum eſt Chriſti myſterium, atque omnium conſeſſione ingnum, ut ait beatus Paulus. Scribitur deinde hominis ſtylo: ſermoni ſiquidem habendo de diuinitate, ſi nuda per ſeipſam, & à carne ſeiuncta ſpectetur, facultas dicendi noſtra minimè ſufficit, quæ nec ea percipit quæ ſupra mentem ſunt, nec ea quæ ſupra orationis facultatem poſit ſunt, explicare nouit. *Gloria namque Dei cæli ſermoni*. Poſtquam verò factus eſt homo, v nigenitus Dei Verbum, & in nobis habitauit, ſtylo noſtro quæ ad ipſum pertinent ſcribuntur. Illud quoque iam age ſcilicet contemlemur. Cum enim præcepſſet Propheta Deus, ut librum caperet, quæ in ipſo erant ſtylo noſtro conſcriberet, ad Prophetidem accellit. Quid potè eſt illud, *Accellit*: Hæc congreſſendi legem, figurata ſimilitudine expreſſit. Prophetidem verò ſanctam Virginem appellat. Prophetavit enim concepto Chriſto. Subiicit deinde; *Et concepit & peperit filium*: cui etiam imponit nomen, non quod rufum proprie in hominem quaderet, ſed quod ex præſtantiſſimis actionibus ſoli conueniat Deo. *Voca*, enim ait *nomè eum, velociter ſpolia, citò prædare*. Namque ut conſeſſim genitus eſt cæleſtis ac diuinus Infans, adhuc quidem detinebatur in cunis, & ſinu Matris, ob humanam natutam: ſed cum eſſet etiam natura Deus, inſinita eius vis detraxit illud Satanæ vaſa.] En igitur ut S. Cyrillus, Deiparam agnoſcit pro libro grandi, in quo Dei Verbum ſtylo hominis à Spiritu ſancto eſt exaratum. Eo etiam reſpexit S. Ephrem initio laudationis Deiparæ, eam vocans *chartam diuiniſſimam*.

*Verbi in eo libro ſcriptor, Spiritus ſanctus.*

254. Scripſit ſanè in hoc libro Spiritus ſanctus. Neque enim viri vllus opus eſt hæc ſcriptio: Communiter quidem homines ſcribuntur in maternis libris à patribus: Vnde etiam homo deleri dicitur cum moritur, quaſi exarati quidam per Scripturam apices, ut S. Ambroſius l. de Noè & Arca c. 13. pulchrè notauit. Non ita Chriſtus à Patre quopiam terreno ſcriptus eſt in materno libro. Hoc ſi quis eſturiat, mendacijs arguetur ab eodem Iſaiæ c. 29. Quod enim ibi Iſaias ait de libro ſignato, quem cum dederint ſcienti literas dixerintque, *lege iſtum, reſpondebit; non poſſum, ſignatus eſt enim; & dabitur liber neſciti literas, dicitur que eis lege, & reſpondebit neſcio literas*: Hoc Gregentius in diſputatione cum Herbano Iudæo, in colloquio ſecundæ diei initio, ſic interpretatur. [Quid aliud liber ſigillo obſignatus, quam Virgo & Dei genitrix? Quis ille vir? Iosephus faber. Quid quod & litera ſcienti, id eſt, qui alijs nuptijs cum aliâ coninge congreſſus eſt, de qua liberos ſuitulit? Quid autem quod is diuinam tabulam, nempe librum legere non potuerit; id eſt, cum ipſa Virgine commiſſeri non potuit, ex Deo intelli-

IN NAUD  
 omnis I,  
 de Christo  
 et  
 omnis II,  
 de Attributis  
 Christi  
 VII

gens, quod hæc Domino Iesu esset clausa & reservata incorrupta, & integra, vt de Spiritu sancto Deus carnem ferens, & mortalis hic secundum essentiam ex ipsa nasceretur. Verum errat Gregorius quoad Iosephi alterum coniugium. Melius absque ea labe eundem Isaac locum, interpretatus est de B. Iosepho Damascenus orat. 1. de Nati. Deip. sic enim scribit. [Is qui omnia efficit Deus Verbum, quod Pater è pectore eructauit, librum nouum condidit, Dei lingua à Spiritu, tanquam calamo quodam in ipso conscribendum: qui quidem homini literarum perito datus est, nec tamen ab eo legitur. Neque enim Ioseph Mariam cognouit, neque ipsius mysterij potentiam.] Admitte Iosephum dici literarum peritum, id est idoneum ad opus nuptiarum. Negat tamen in illud opus incubuisse vnquam, quia Virgo semper mansit, & quidem ex voto, vt alibi est dicendum. Orat. item 2. de Assump. idem Damascenus, Deiparam vocat librum nouum, cui inenarrabili modo Deus Verbum citra omniæ manus operam inscriptus est. Manum vocat, vici operam, nam tamen habuit Deipara virum, is tamen vt iam ex Damasceno diximus, nesciebat formare literas, seu scribere. Et accipi manus pro opere nuptiarum in scripturis, obseruat S. Hieron. epistola 2. Præiuerat Greg. Taumat. orat. 3. de Annunc. qui eodem prorsus modo, librum, & libri oblationem & traditionem eius homini nescienti literas, hoc est Iosepho à coniugij opere abhorrenti, interpretatur.

*Calamus, & liquor ad scribendum.*

255. Scripsit itaque in libro Deiparæ Verbum hominem, Spiritus sanctus, idemque scriptor fuit & calamus. Quidni enim idem spiritui queat manus & calamus, si idem est apud Dauidem Psal. 4.4. lingua, & calamus? Quod si calamum quoque Verbum dicas, non refugio. Et dixerunt sanè Cyrillus & Ambrosius, ille libri primi de adorat. pag. 6. Deum Patrem, scriptorem; digitum, Spiritum sanctum; calamum, Verbum interpretatur; nostrum omnium pectora, epistolas quibus Deus sensa sua & placita inscribit, non atramento, sed spiritu, vt 2. Cor. 3. dixisse Apostolum obseruat Cyrillus. Ambrosius etiam concinnius l. 6. in Lucam ad illud, *arundinem vento agitatam*; calamum enim illum velociter scribentem cuius est Psal. 4.4. mentio, interpretatus hominem ex Dei motione operantem, subdit, alios id ad Christum referre maluisse; nimirum S. Ananiam cuius hoc fragmentum in Nicetæ Catena Græca in Psalmos, legitur ad Pla l. 4.4. [Christus est Rex ille, cui opera sua pater exponit. Porro quem Verbum dixit, hunc linguam suam quoque appellat: eò quod nihil aliud quam Patris voluntatem loquatur. Nam etiam inter homines, lingua mentis sensa alijs quasi transfertur. Dicitur quoque Calamus scribere, quod quæ loquitur, illic etiam in effectum deducit: quemadmodum produunt illa, *Mundare*, & statim mundatus est: *Iuuenis, dico tibi surge*; & statim exsurrexit. Quamquam etiam in cordibus nostris inscribat voluntatē Patris. *Voluntas autem Patris est*, vt ipse ait, *vt omne quod mihi dicit, nihil perdam ex eo* Velox verò est calamus Patris. Lex namque Moïsis, per ductus literarum perobscure significauit ea, que ad utilitatem hominum faciunt. Saluator verò communis, in compendio demonstrauit nobis voluntatem Patris.] Huic interpretationi, ipse quoque S. Ambrosius quem adducebam, non grauatè accedit, subdens. [Vno igitur loco, & Verbum, & calamus legitur & scriba, Verbum, quia de genitrali Patris processit arcano. *Eructauit cor meum, Verbum bonum*. Calamus, quia caro Christi paternæ seriem voluntatis expressit, & linguæ mandata diuinæ sacri effusione erroris impleuit. Scriba, quia calamo suo diuidua quadam distin-

ctione, Noui & Veteris Testamenti, vel diuinitatis & carnis, paternæ nobis dispositionis mysteria reuelauit.]

256. Vides calami Christi crenam; duplicem inquam naturam, vno calami tunc, vni inquam persona confectam; vides etiam liquorem ex hoc calamo defluentem, non atrum esse, sed rubrum. Nam & Imperialis ac Regia charta est, quæ hoc calamo conscribitur; quam pro veteri Imperatorum more, encancto conscribi oportuit; id est liquore ex conchylij errore ad id munus trito, decocto, & variè apiato, vt habetur l. sacri C. de direct. rescript. & apud Nicetam declaratur lib. 1. & 6. de vita Manuelli Imperatoris & apud Balfonium V. *encanctum*. Cinnabarim à coloris similitudine, vocat Gregorius II. scribens ad Leonem Hænarum. epistola 1. Reuera tamen erat ex coeli muricis & triti conchylij mixtura, purpuramentum verius quam atramentum, asseruatum in caniculo id est atramentario specie caniculi: Vnde *prescriptum caniculi* primarius à secretis, qui illud quod dixi purpuramentum ministrabat, & scribebat phœnicias literas, id est si quid ad nomen adscribendum erat, manu sua exarsbat, vt habet Anastasius ad octauam Synodum actione 10. Verbi igitur calamus, in Deiparæ libro, non minus quam Spiritus sanctus scripsit rubro liquore, id est humano sanguine ex quo Christus per Verbum & Spiritum sanctum compactus est; quatenus Verbi Diuini & Spiritus sancti, vna & communis est operatio externa; cuiusmodi est ista; etiam si solennius sit, eam peculiariter tribui Spiritui sancto, quia opus est insignis amoris & charitatis in humanum genus: cuiusmodi opera Spiritui sancto, quia via amoris procedit, peculiariter tribuuntur iuxta communem vsum, haustum ex ipsis scripturis. Calamum & eius crenam, Zeno sermone de somnio Iacob, ad duo Testamenta Christum vnam exhibitia scite refert, quod vt duplici calami filii capite, vna litera ita pingitur, vt alterutrum caput non sit ad pingendum satis, sic duplici testamento Christus conscribitur in cordibus. Sed quod dixi, est valde commodum.

Nolo circa calamum scribentem velociter, præterire Rupertum. Eius hæc est concinnissima sanè ratiocinatio in hanc rem lib. de læsione virginitatis cap. 13. [De opere illo mirabili gratuletur atque gloriatur rectè Pater laudabilis. *Eructauit*, inquit, *cor meum Verbum bonum*, dico ego opera mea regi; *lingua mea calamus scriba velociter scribens*. Quod ita rectè valet intelligi, secundum similitudinem alicuius boni & sapientis hominis, qui dicere possit. Sapientiam meam oculatam esse nolui, sed assumpta & bene polita pelle ouis aut vituli, arque adhibito calamo, qualem habui sensum, vel scientiam tacito corde conseruatam, diligenter conscripsi, vt videre & legere possent alij quique doctiles ac beneuoli, qualibus prodesse potest thesaurus desiderabilis qui requisiecit in ore sapientis. Secundum inquam hanc similitudinem fecisse Deus Pater intelligitur, ex prescripto capitulo Psalmi. Nam vt est Omnipotens, omnipotenter naturam humanam, id est, corpus hominis, & rationalem animam formauit in utero S. Virginis, & optimè politis, id est, ita concipi fecit, vt nihil hispidum aut pilosum haberet illa natura nostræ pellucula de vetustate peccati Originalis. Tunc adhibita lingua sua, id est mirabili opifice Spiritu suo, tanquam calamo scriba velociter scribens, totum Verbum suum, Verbum bonum, Sapientiam suam, sapientiam sibi coæternam, illi creaturæ, id est rationali animæ, penitus inscripsit; tam velociter, tam plenarè, tamque veraciter, vt nihil sibi desit de omni thesauro illo, qui requisiebat, & requisiecit adhuc in corde eiusdem Patris sapientis. Nam licet illic intromissum sit, nihilominus tamen remansit omne Verbum & permanet in corde Patris multo certius, atque constantius,

stantis, quam remanet in corde tuo versiculus tuus, postquam illum ceræ vel membranæ inscripseris.]

*Stylus hominis quo liber conscriptus est, iuxta Isaiam.*

257. Vnum est quod considerandum testat in Isaiæ proposita propheta; nempe *stylus hominis*, quo conscribendum liberum dixit Propheta *stylo hominis*. S. Epiphanius hæret. 30. dictum putat, *in imagine hominis*, quod scilicet homo expressus sit in hac charta. Neque verò imagine nuda, quæ mera esset representatio sed adiunctam habente veritatem. Possimus etiam conscribere librum *stylo hominis* accipere, de seripione facta vñ nobis naturali, & humano more: verè enim si viti operam iam exclusam remoueas, & tarditatem eorum Spiritus sancti interuenientis abiecit; Christus quod ad mater & cooperationem attinet, productus est humano more ac ritu, quæ de re suo loco in ista ple-nitas lib. 3. Adde etiam, *stylum hominis* seu naturalem seripionem modum in hac verbi seripione seruatum esse. Scribendi enim modus naturalis, non est à latere ad latus, siue à sinistra ad dexteram, vti nos scribimus Latincorum & Græcorum vsu; siue à dextera ad sinistram vt Ægyptijs & Hebræis mos fuit *Βροχον* dixerit Græci ex Sexto Pompeio; siue lineas nunc dextror-sum nunc sinistorum agendo, & verè versus conficiendo vt ararotes, quod à quibusdam populis incommodissimè presertim tradit Paulianus: sed naturalis scribendi modus esse videtur, à summo ad imum, quod ingeniosum Iaponem in B. Xaverij Epistolis dicere memini, cum rogatus eorum ipsi nostrum scribendi morem non vsurpant; nec in latum, sed in longum seripionem producent, quod etiam Chineses faciunt; respondit, quidni verò vos potius nostrum scribendi modum quippe naturæ conformem amulaminis *stylo* igitur hominis, & admodum secundum naturam, seripsum est Dei Verbum in carne, eum à summo deorsum processit seripio, quod tanta Verbi depresso plus satis confirmat.

*Alia Verbi Dei seripio, dimissa. vsus doctrina.*

258. Considerari hoc loco eam duntaxat verbi seripionem analogiam, quæ cortici nudo seripitur inædificatur. Aliam præterea insinuat Orig. initio homiliae 1. in Leuit. quam eius verbis expressisse, sat fuerit. [Sicut in nouissimis diebus Verbum Dei, ex Mariæ carne vestitum processit in hunc mundum; & aliud quidem erat quod videbatur in eo, aliud quod intellegebatur; carnis namque aspectus in eo patebat omnibus, paucis verò & delectis dabatur diuinitatis agnoscitæ & cum per Prophetas vel legitatorem, verbum Dei profertur ad homines, non absque competentibus profertur indumentis. Nam sicut ibi carnis, ita hinc velamine tegitur, vt litera quidem aspiciatur tanquam caro: latens verò intrinsecus spiritalis sentus, tanquam diuinitas sentiat.] Affinia habet S. Bern. serm. ad Milites Templi cap. 7. Verum optime S. Antonius 4. p. tit. 1. 5. cap. 2. §. 9. tanto antecellere ait seripionem Verbi Dei in libro Deiparæ, seripioni verbi Dei in sacris Codicibus, quanto liber viuens antecellit emortuis apicibus. Agnoscit tamen (& merito) inuolentiam analogiam inter vtrumque hunc librum; cum ex eo capite quod proximè ex Origene tetigimus, tum ex alijs quæ apud eum legere licet.

Quomodocumque verò spectetur Christi cum libro analogia, en verè quod de S. Pauli pectore seripsum est à Chrylostomo hom. 3. 2 in ep. ad Rom. *Voluntè charitatis*. Planè enim aliud non est Christus, quam liber, digitalibus literis expressam continens Dei erga nos charitatè. Exponit de Christo S. Bernardus serm. 1.

de Paschate. librum sigillis septem obfignatum, de Christo Domino & multiplicibus incarnati Verbi mysterijs. Hic verè liber vitæ agni, in quo quisquis conscripsum non fuerit, extraneus habebitur à populo Dei. Legamus assidue librum hunc, & per singulos gradus nostros pronuntiamus illum. Emendemus ad hunc librum quippe emaculatissimum, conscientiarum nostrarum libros, ne fortè in vltima discussione abijciantur & exurantur si sic emendati non fuerint. Monumentum est autoris libri de conscientia apud S. Bernardum c. 9.

CAPVT III.

*Verbum vestitum.*

259. Ad huius emblematis propositionem, præmittendum est, Adamum protoplastum, fuisse Verbi incarnati imaginè. Ed enim spectat quod Rom. 5. Adam dicitur *Forma futuri*; hoc est Christi: qui etiam ideo dicitur *Adam secundus*, vel *homo secundus*, quod eum multipliciter expresserit Adam primus; partim per dissimilitudinem partim per similitudinem vt Gugenius bene obseruat in c. 5. citatum. Per dissimilitudinem quidem, aut vt D. Augustinus loquitur l. 2. de nupr. c. 27. à contrario, quia sicut Adam est fons mortis, ita Christus est fons vitæ. Et sicut per proprium Adæ peccatum malignè in nobis fructificans, etiam excluda voluntate propria, nascimur natura filij iræ, sic per Christi gratiam, etiam nostris meritis exclusis, ad primam gratiam sanctificantem admittimur. Per similitudinem verò, quia sicut Adam fuit caput & vir Euz, ita & Christus Ecclesiæ. Et sicut omnes sumus in Adamo generati; sic & omnes in Christo regenerati. Adam procreatus est de tertia virgine nondum vomere compressa, nondum à semente subacta, nondum maledicta; Christus ex Virgine benedicta. Eleganter in hanc rem differit S. Iren. l. 3. c. 31. & Tertull. lib. de carne Christi c. 17. [Dormit Adam, vt fiat Eua; moritur Christus, vt fiat Ecclesia: fit Eua de latere, mortui Christi lancea perforatur latus, vt profluant Sacramenta quibus formatur Ecclesia. Vnde merito Apostolus, ipsum Adam, dicit formam futuri.] Est sententia apud Prosperum 3. 29. de prompta ex Augustini tract. 9. & 15. in Ioan. Hæc quod vbius proferunt, non placet fufius persequi.

*Adam post peccatum vestitus, Verbi carne amicti, imago.*

260. Illud potius spectandum & expendendum est ad rem propositam, quod præclare ab Anastasio Sinaita expressum est l. 9. & 10. Hexaem. præter alias plerisque Christum inter & Adamum similitudines ac antitheses quas proponit. Adamum scilicet dupliciter considerari posse. Primò nudum, qualis erat ante peccatum. Secundò vestitum, qualis fuit post peccatum. Deus enim miseratus, hominis iam obnoxij tot incommodis, formem deterrimam, vestiuit eum tunica pellicea. Priorem statum ait Anastasius, fuisse statum Verbi ante Incarnationem. At vbi propter peccatum facta est incarnatio, ventum est ad vestimentum & posteriorem statum Adami. Laciniam vnã & alteram, ex longiore Anastasij oratione decerpo.

Libro 9. *serè initio*, monstrat imprimis Anastasius, hærendo in solo literæ cortice, agrè exponi posse de primo Adam, quæcunque habet facer textus. [Cum latitudo paradisi sit magnitudinis incõprehensibilis, adeò vt abundantia eius irrigationis, efficiat quatuor fluuios vniersam propè terram irrigantes, quomodo ille cum sit solus, ligone, rastro, & aratro exercere terræ operationem? Quomodo autem custodiebat,

cum